

7. *CORONILLA cretica* herbacea, leguminibus quinis erectis teretibus articulatis, foliolis undenis. Linn. Syst. Veget. p. 670.

Numerus undenarius foliolorum, quem Linnaeus in differentia specifica pro signo characteristico habuit, minus constans est. Copiosissime enim variat foliolis novem, duodecim, tredecim, quindecim, immo septemdecim in uno ramo. Neque numerus quinquarius leguminum semper constans est. Melius et constantius signum praebet *pedunculus inferne pilosus*, quod commode cum reliquis pro characterem specifico adhiberi possit.

8. *LATHYRUS inconspicuus* pedunculis unifloris calyce brevioribus, cirris diphyllis simplicibus, foliolis lanceolatis. Linn. Syst. Veget. p. 662.

Planta mea exacte convenit cum descriptione a Linnaeo in Syst. Plant. Tom. III. p. 464. data, exceptis leguminibus, quae ante maturitatem villosa, dorso et carina pilosa scabriuscula observantur, quae autem maturitate villositatem et scabritiem plane deponunt laeviaque fiunt, et foliolis paullo longiora et angustiora sunt, non illis latiora. Flores solitarii in alis petiolorum. Corolla connivens numquam explicatur, vix calyce paullo major. Calycis dentes setacei, inaequales.

9. *THRINCIA*.

*Observatio I.* Dictum est hoc genus a *Θρυξός*, pinna s. corona murorum; quoniam coronula feminum radii similem formam habet. Ab eodem vocabulo fortitan etiam derivandum est nomen plantae adfinis, *Hyoseridis radiatae* Linn., *TRINCIATELLA*, quo usus est Ioach. Camerarius in horto med. et philosoph. p. 173.

10. *COLOBIUM*,

*CAL. communis* ovato-oblongus, octangulus, octophyllus, persistens: foliolis lanceolatis, carinatis, aequalibus; basi calyculatus vel subimbricatus squamis paucioribus, brevissimis, arcte adpressis.

*COR.* uniformis, imbricata, composita *Corollulis* hermaphroditis, lingulatis, oblongis, truncatis, quinquentatis, extus ad faucem villis longis obsessis.

*STAM.* et *PIST.* ordinis.

*PERIC.* nullum. *Calyx* immutatus, ovato-acuminatus.

*SEM.* solitaria, oblonga, utrinque attenuata, angulosa, rugosa:

*disci pappo* stipitato plumoso praedita, deciduo;

*radix* tot, quot calycis foliola, subincurva, calycis foliolis maxima ex parte inclusa, apice truncata, *calyculo* brevi paleaceo multidentato-obliquo coronata, cum calyce persistencia.

*RECEPT.* convexo-planiusculum, alveolatum: alveolis coadunatis, truncatis, dentato-aristatis, femine longe minoribus.

*Observat. I.* Essentialis hujus generis character sequens erit: *Calyx* octangulus, caly-